



OS GABRIEL,

DEI gratia, Electus, Hungarie, Dalmatię, Croatiaę, Sclavoniaę, Ramę, Seruiaę, Gallitię, Lodomeriaę, Comaniaę, Bulgariaęq; &c. Rex, Transylvaniaę Princeps & Sicularum Comes &c. Memoria cōmendamus, tenore præsentium significantes quibus expedit vniuersis. Quod cum nobis, haud ita pridem, in Ciuitate nostra Libera Tyrnauensi constitutis, & existentibus, fideles nostri Status & Ordines tū inibi congregati, humilima animorum subiectione supplicassent, pariter & demissè institissent, quatenus iisdem, siue pax alma, tū in tractatu Hamburgensi hærens, optato sine conclusa fuerit, siue bellum, pro restitutione restauratiōneq; patriarum libertatū susceptum, continuandum foret, in vtrumq; tamē euentum, ad minus, intra decursum duorum mensium, siue publicandę pacis, siue instituendę, de cōtinuatione ulterionis belli, consultationis causa Generalem Dietam promulgare dignarentur: ac protunc huic ipsorum demissę supplicationi elementer annuendo; accedente insuper hostis externi, per factiosos, patrięq; ruinaę, desolationis, & exitij atidissimos, in viscera Regni anxijis sollicitationibus accersiti & introducti, iamquę obuia passim, inauditā tyrannyde & plus quam beluina ferocitate infestantis, grassatione, postulatis, expectationiq; ipsorum latisfacturos esse benigne obtulissetus; Idcirco memores huius nostrę oblationis, eisdem fidelibus nostris Statibus & ordinib; Generalem Dietam, primū quidem in Liberam itidem Ciuitatē nostram Epperiesiensem, pro primò tū in



stantis, iam verò præsentis Mensis Iunij die promulgassemus, postmodum verò certis ex rationibus, in hanc nostram similiter Liberam Civitatem Cassovien: transtulissimus; extunc ijdem Status & ordines frequentiore, quo potuerunt, numero, ad dictam hanc Civitatem confluentes; habitâ maturâ, & exactâ inter se deliberatione, & consultatione, certos quosdam Articulos, pro temporis conditione & rerum statu, communi omnium Voto sancitos & conclusos, Majestati nostræ humilimè exhibuerunt; demissè supplicantes, quatenus omnia & singula in eis contenta, ratos, gratos & accepta habentes, nostrumq; Regium consentum illis præbentes clementer acceptare, authoritate nostra Regia approbare, confirmare, atq; tam Nos ipsi benignè & firmiter observare, quàm per alios, quorum interest, observari facere, dignaremur: Quorum quidem Articulorum tenor et series sequitur in hunc modum.

ARTICVLI DOMI-
NORVM BARONVM,
MAGNATVM ET NOBILIVM, CÆ-
TERORVMQVE STATVVM ET ORDINVM
Regni Hungariæ, in Generali eorundem Dieta
Cassoviensi, quinto die dicti, Mensis Iunij, Anni
Millesimi Sexcentissimi vigesimi
Primi, conclusi.

PRÆFATIO.

Qua Status & Ordines Sux Majestati Regiæ, Domino ipsorum Clementissimo, pro clementi paternoq; erga se & reliquias Regni hujus affectu, demissas agunt gratias; utq; eundem etiam in posterum patri passu retinere dignetur, demissè orant.

Status & Ordines afflictissimi Regni istius Hungariae, ad benignam Electam Maiestatis Regiae, Domini Domini nostri Clementissimi, postulationem & mandatum, ad Dietam istam Generalem, primum quidem ad Liberam & Regiam Ciuitatem Epperiesiensem, pro prima die Junij, Mensis presentis, iuxta deliberationem in Ciuitate Tyrnauienst habitam qui tandem ex certis ijsq; rationalibus causis ad hancce similiter Regiam ac Liberam Ciuitatem Cassouiensem translata, congregati eiusdem Maiestatis Regiae Propositiones intellexerunt humilime.

Gratias ydem Status & Ordines, quas animis ipsorum maximas concipere possunt, pro paterna ista cura & sollicitudine Sua Maiestatis Regiae, qua erga afflictissimi huius Regni reliquias affici dignatur, eiusdem Maiestati agunt habentq; Exorantes Suam Maiestatem tanquam Dominum ipsorum Clementissimum humilime, singularis istius cura atque sollicitudinis sua affectionem paternam in posterum quod, erga fideles suos Status & Ordines retinere non dedignetur.

Ad contestandam porro eorundem Statuum & Ordinum fidelitatis promptitudinem, debitamque obseruantiam, in rebus atq; negotijs ysdem per Suam Maiestatem Regiam benigne propositis communi ipsorum voto & assensu, ad infra scripta puncta descendunt.



ARTICVLVS. I.

ARTIC. CASSOWIEN.

Modus exercituandi; quo se Status & Ordines ad Personalem penes Suam Majestatem Insurrectionem alacriter offerunt.

ET quidem primùm Suæ Majestatis propositionis Articulum quod attinet; Licet Status & Ordines factis superq; enervatos, & tam contributione pecuniaria florenorum sedecim superioris Anni, ad portas imposta, quàm verò personali insurrectione, penes Suam Majestatem instituta; Equitum item ac peditum subministracione, nec non florenorum duodecim à Colonis & Inquilinis per singulas portas, exactione, sese exhaustos esse intelligant; consideratâ tamen præsentis temporis extrema necessitate, unanimi atq; alaci studio determinunt, ut iuxta veteres Regni leges, signanter autem novissimas constitutiones Nouifolienfes, penes suam Majestatem, omnes tam Magnates, quàm Nobiles, quantum fieri potest, apparatu, insurgant, exceptis ijs, qui bello essent inhabiles, aut ex certis, & non fraudulentis, rationibus à Comitatu, in quo personalem haberent residentiam, eximerentur.

Tales autem quemadmodum etiam qui in serviitijs tam Suæ Majestatis, quàm etiam Dominorum Magnatum & Nobilium re ipsa & non sub aliquo prætextu essent occupati, iuxta facultates eorundem, per vice Comitum, Iudices & vniuersitatem Nobilium conscientiosè limitentur & taxentur, secundum easdem constitutiones Nouifolienfes superindè editas, ita ut tot, quot mererentur, equites expedire teneantur.

Similiter etiam lobbagiones, ex bonis omnium, tam Suæ Majestatis, quàm Dominorum Magnatum, Nobilium ac Ciuitatum Liberarum, à singulis tribus portis, tam Colonialibus, quàm inquilinaribus peditem unum, armis bene instructum, sub vexillo Comitatus militaturum expediant. Dediticij autem à sex portis peditem unum.

Si qui autem bello habiles, contumacia, aut alijs quibusuis prætextibus ducti, sese ab insurrectione abstraherent,

straherent, in eo casu, contra tales, iuxta prænotatas constitutiones Nouifolienteses, procedatur.

Ut verò Domini Magnates & Nobiles huic insurrectioni tantò promptioribus animis interesse, eiq; pacare possint: Supplicant Suae Majestati, ut milites omnis generis, sub disciplina militari contineantur, ab insolentibus, non tantùm Nobilibus, sed etiam miseræ plebi inferendis, arceantur, ac ne iidem, aut Capitanei eorundem, Subditos Dominorum Magnatum, Nobilium & Ciuitatum Liberarum vi abducant, & secum ad bellum ire compellant, prohibeantur. Contra illos autem, qui hoc admiserint, penes eosdem Articulos Nouifolienteses pœna executioni demandetur.

ARTIC. II.

*In quo se Status & Ordines, ad Quæstionem, per
Sua Majestatem, ratione commissi per Sigis-
mundum Forgach in Tractatione Pacis
excessus, motam resolverunt; Eun-
demq; Forgach pro Palatino de-
inceps agnoscere nolle
declariant.*

Quod verò Sua Majestas à Statibus & Ordinibus Regni se informari cupiat, an iidem, præter scitum Suae Majestatis, priuatam aliquam Instructionem Sigismundo Forgach dederint, ut is locum tractationis mutare, Viennam ascendere, Diploma iuribus & libertatibus Regni magnoperè præiudicans, extrahere, simul etiam militem & hostem externum in viscera Regni ad destructionem & euersionem Patriæ, atq; adeò exercendam tyrannidem introducere possit, & propterea illum pro Palatino suo agnoscere velint?

De eo Status & Ordines Regni, præhabitâ diligentia & accurata inquisitione, unanimi voce asserendo, recognoscunt, se nullam aliam Instructionem dicto Si-

ARTIC. CASSOWIEN.

gismundo Forgach præter eam, quæ cum præfatu Sux
Majestatis semel fuisset data, concessisse, aut transmisisse.
Ideoq; etiam propter præmissos excessus, eundem ne-
quaquam pro suo Palatino deinceps agnoscere velle.

ARTIC. III.

*Diploma Casareum, per Sigismundum Forgach
Viennâ allatum, Status & Ordines acceptare
nequientes, in pacificationis item Viennensis nec
non Septemdecim conditionum sublacionem, rece-
ptionem deniq; externorum præsidiorum in Confi-
nia Civitates Liberas & Arces Dominorum Re-
gni Hungariae consentire nolentes: ad iustas pacis
conditiones etiam de cætero sese offerunt; in
eumq; finem egregium Andream Ke-
czer pro internuncio de-
signant.*

BCU Cluj / Central University Library Cluj

Diploma porro præactum, cum nullam securita-
tem redolere, aut instantem aliquam tranquillita-
tem promittere, sed potius Regnum maioribus cala-
mitatibus, & extremæ perditioni certò sublecuturæ
(quod Divina Majestas clementer auertere dignetur) ÿ
in voluere velle animadvertant: ob id Status & Ordi-
nes illud neutiquam, formâ illâ, qua confectum est,
acceptare, multo minus ijs, quæ per mediatores Lega-
tos Christianissimi Regis Galliarum renunciata fuis-
sent, nimirum ut Articulos Pacificationis Wiennens-
is, nec non Septemdecim conditiones iam semel tem-
pore inaugurationis Sux Casareæ Majestatis accepta-
tas, Hungari perpetua obliuioni tradant, ac insuper
ut in omnia Confinia, liberas, quas voluerit, Ciuita-
tes, & Dominorum nonnullorum Arces, pro placito
arbitrioq; suo, Germanica præsidia ultrò & spontè re-
cipiant, ullo modo consentire possunt & volunt. Parati
tamen

tamen essent etiam de cetero, omnes iustas pacis rationes & conditiones amplecti.

Atq; in eum finem Status & Ordines Regni elegerunt Generalem Dominum Andream Keczzer de Lypocz, vt is ad eandem Sacram Cæsaream Majestatem per Postam penes Literas Salvi Conductus Illustrissimi Comitis & Generalis à Buquoy, extrahendas, studium & intentum Statuum & Ordinum Regni (si opus fuerit:) eidem indicaturus, quàm citissime excurreret.

ARTIC. IV.

Locus tutioris conseruationis Coronæ Arx Echiediensi destinatur; juxtaq; Conseruatores eiusdem denominantur.

Locum pro tuta & secura Sacræ Regni Coronæ conseruatione, po hoc tempore idoneum, Status & Ordines Regni Arcem Echied esse censent Ad cuius Custodiam reuocandum statuunt Spectabilem & Magnificum dominum Petrum de Rewa, fidum eiusdem hactenus Achatem, eiq; constitutionibus Regni Spectabilem & Magnificum dominum Paulum Rakoczy pro altero conseruatore, cum sufficienti & fideli, Electro Regi & Regno adstricto iuramento, præsidio, adiungendum esse decernunt. Interea tamen temporis, dum tam Corona Regni, quàm verò denominati eius Conseruatores in præscriptum introducti fuerint locum, duas ex potioribus Nobilibus personas, videlicet, Generosos Andream Berzevviczý, Camerae Scepusiensis Consiliarium: & Ioannem Rakoczy, prouentuum Fiscalium in partibus Regni Superioribus Generalem Perceptorẽ, pro ejus Custodia hic Cassovia ordinandas esse censent.

ARTIC. II.

Modus exigendarum Restantiarum Dicar, & Contributionis prescribitur.

Restantias quoque prateritotuta Annorum, ulm Colonialis pecunie, quam Dicar, & alias Regni impositiones, quemadmodum etiam ad Corbham spectantes, Perceptores & Dicatores Comitatum exigant; & manibus eorum, quod talis Regni prouentus ordinati sunt, administrent. Quia autem pleriq; ex Magnatibus contributionem superioris anni a portis suis, per florenos sedecim soluere reculent, & uice Comites talium Comitatum exactiōni eiusdem insufficientes esse comperantur: dignetur Sua Maiestas contra tales modo, in constitutionibus nouissimis Nevoliensibus superindē sancito, procedere, & Dicatores, & per omnia remedia ad solutionem prouentuum Fisci, iuxta Articulos superiorum Annorum, compellere.

ARTIC. VI.

Solutio Salary mensurui egregio Nicolao Monaki, super Generalem Nobilitatem Capitaneatum, ordinati, decernitur.

Et quia Sua Maiestas elementer proponere dignata fuit, ut Dominus Nicolaus Monaki, quem in Generalem Capitaneum tempore Generalis Insurrectionis Sua Maiestas Regia Nobilitati prefecerat, de salario suo mensuro, pro duobus videlicet Mensibus, ad florenos octingentos sese extendente, contentetur, de ea Status & Ordines Regni decernunt, ut prehabita diligenti, in singulis Comitibus, per vice Comites, & Iudices Nobilium, inquisitione, talis solutio presteretur per eos Magnates & Nobiles, qui contumacia ducti, in
expe-

expeditione Generali personaliter non fuerunt, aut à portis suis, juxta Articulos Nouifolienfes, præteritæ Dietæ, militem non expediuerunt.

ARTIC. VII.

De non expediendis contrarijs mandatis: utq; ea per vnum duntaxat Secretarium expediantur; Status & Ordines demisse instant.

IN eo etiam Status & Ordines non parum se grauari animaduertunt, quòd ad instantiam quorumuis Mandata simplicia Iuribus Regni præiudicantia, imò in vna eademq; causa sibi ad instantia, expediantur. Supplicat itaq; ex quo constitutiones superindè exte it quàm plurimæ, ut expeditores Suae Majestatis illis sese per omnia accommodare teneantur. Idq; vt eò commodius fieri possit, curare dignetur Sua Majestas, vt talia Mandata per vnum duntaxat Secretarium extrahantur.

Conclusio.

NOS itaq; prædicta vniuersorum Statuum, & Ordinum, petitione, clementer admissa, præinsertos vniuersos Articulos, communi omnium deliberatione sancitos, ac omnia & singula in eis contenta, rata, grata, & accepta habentes, eisdem Regium nostrum consensum, beneuolum pariter & assensum prabuimus: Et illos ac quæuis in eis contenta acceptauimus, approbauimus, ratificauimus, & confirmauimus, promittentes & assecurantes Status & Ordines, in verbo nostro Regio, quòd præmissa omnia, tam nos ipsi, obseruabimus, quàm per alios fideles Subditos nostros cuiuscunq; status & conditionis existant, obseruari faciemus. Imò acceptamus,

ceptamus, approbamus, ratificamus & confirma-
mus. Harum nostrarum vigore & testimonio li-
terarum mediante. Datum in praedicta Civitate
nostra Libera ac Regia Cassoviensi die Duodecima
Mensis Junij. Anno Domini, Millelesimo, Sex-
centesimo, vigesimo, Primo: Regni nostri Hunga-
riae Primo.

Handwritten signatures and scribbles in the upper left quadrant.



BCU Cluj / Central University Library Cluj

Handwritten signature: Johannes Kraus